

## TRACTATUS DE POENITENTIA.

Præclare admodum ac verissime Tridentina synodus sess. XIV. cap. 1. Si ea, inquit, in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit signum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitute et demonia potestatem tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicaretur. De hoc necessario adeo fragilitati nostrae sacramento acturi nonnulla circa poenitentiae ipsius notionem præmittere peropportunitatem ducimus, ut ad ea quæ deinceps tractanda erunt, faciliorem nobis inueniamus viam.

Poenitentia duplici spectari ratione potest, vel prout est virtus, vel prout est sacramentum. Quatenus est virtus, ea quovis tempore necessaria fuit ad hominem Deo reconciliandum. Definiri autem solet: *Virtus supernaturalis qua homo movetur ad detestationem sui peccati, ad firmum melioris vitæ propositum, ac ad sui vindictam in compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ.* Quæ definitio Scripturarum auctoritate innixa excludit Lutheri doctrinam qui in sola novitate vitæ, vel resipiscencia ac consilii mutatione poenitentiam plene contineri affirmabat, nullo præteritæ vitæ odio, nullo animi dolore concepto (1). Quæ in re vel ab ipsis ethnicis erroris arguitur, ex quorum constanti sententia in antea vitæ criminum detestatione poenitentia constitit (2). Quatenus vero est sacramentum poenitentia passim definitur: *Sacramentum a Christo Domino institutum quo per juridicam sacerdotis absolutionem homini contrito et confesso remittuntur peccata post baptismum commissa.* Quæ definitio quemadmodum summam continet totius catholice doctrinæ circa hoc sacramentum, ita etiam tractatus hujus nostri summa complectitur. De veritate siquidem sacramenti agere in primis nobis proposi-

(1) Cf. Bellarm. de Poenit. lib. I. cap. 7. ubi arguit stultitiam doctorum illorum qui potius grammaticos quam theologos agentes vocem significationes ex etymologia maluerunt ducere quam ex communi Scripturæ et probatissimorum auctorum usu. Nam Laurentius Valla, Erasmus, Lutherus, Beza vocem *μετάνοια* constanter *resipiscenciam* latine vertunt, et auctorem Vulgatæ reprehendunt, quod verbum *μετάνοια* reddiderit *poenitentiam agere*. In notione vero *resipiscencie* Lutherus constituit fundamentum suæ doctrinæ circa poenitentiam.

(2) Noti sunt versus Ovidii lib. I. de Ponto. Ep. I. v. 59. Poenitet, o si quid miserorum crediderit ulli, Poenitet, et facti torquor ipse meo. Nec non Ausonii Epigram. 11. ubi sic poenitentiam loquentem inducit:

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas  
Nempe, ut poeniteat, sic Metanœa vocor.

tum est; tum de ejus partibus, contritione videlicet, confessione, et satisfactione; de materia denique, forma ac ministro.

### CAPUT I. DE VERITATE SACRAMENTI POENITENTIAE.

Novatores sec. XVI. omnium primi veritatem hujus sacramenti adorti sunt. Nam neque montaniste aut novatiani; neque waldenses aut wiclefite uti ostendit Bossuetus (1) illud rejecerunt. Lutherus principio incertus, animi pendens modo retinuit, modo expunxit poenitentiam a sacramentorum albo (2). Quæ inconstantia in auctoribus Lutheranis plerisque omnibus reperitur (3). Calvinus sacramentum hoc penitus sustulit cum suis *reformatis*. Omnes tamen protestantes et reformati in eo conveniunt, quod poenitentia non aliud sit quam recordatio baptismi nec ab ipso distingatur. Cum enim in ipsorum principiis gratia non conferatur per sacramenta, nec deleantur peccata, sed solum non imputentur vi fidei, quam sacramenta excitant, inde fit ut peccatum originale cum suis *formis particularibus* jugiter perseveret in homine post baptismum. Hinc cum peccatum istud primordiale non imputetur ad pœnam ob fidem quam semel excitavit baptismus, sequitur quoque ex istorum hypothesi, quod ejusdem peccati *primordialis manifestationes* seu *formæ particulares*, scilicet peccata actualia, non imputentur pariter ad pœnam ejusdem fidei virtute qua peccatum originale non imputatur. Satis propterea est in memoriam revocare baptismum, ut non imputatio, sed absolutio generalis illa baptismi producat suos effectus; cum sese extenderit ad peccata omnia tum præterita tum futura. Itaque ea est protestantium sententia, ut effectus poenitentia omnes a baptismo producantur, nec poenitentia ullus sit reliquus inter sacramenta locus (4). Cum vero ex doctrina Ecclesiæ catholicæ sacramenta vere producant gratiam, vere baptismus deleat peccatum, et gratia ista per novum peccatum amitti possit, sequitur alia tabula post naufragium opus esse, ut homo post baptismum lapsus possit se in portum salutis recipere. Quare fides Ecclesiæ est, quod poenitentia sacramentum sit a baptismo distinctum. Ut hanc Ecclesiæ doctrinam vindicemus, duo debemus efficere, ac primo adstruere veritatem sacra-

(1) *Hist. des variat.* Liv. II. n. 104. et n. 163.

(2) Cf. Bar. de Starck, *Entretien Philosophiques*, Paris, 1818. pag. 15. et *Catechism., christianum Doctoris Martini Lutheri*, editum a doctore Christoph. Bensold, Augustæ Vindel. 1828. pag. 525. qui plura referunt ex Lutheri operibus collecta testimonia quibus ille adstruit veritatem sacramenti poenitentia divinitus instituti et omnimodo necessariæ ad salutem.

(3) Cf. Meyler *Symbolique*. t. I. p. 314. et seqq. ed. cit.

(4) Cf. Mehlner, loc. cit.

menti poenitentia, deinde ostendere hoc sacramentum a sacramento baptismi plane discriminari. Quæ ut assequamur, sit

**PROPOSITIO I.**—*Poenitentia est vere et proprie nova legis sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post baptismum commissa.*

Est de fide; etenim concilium Trid. sess. XIV. hunc canonem I. edidit: *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Hoc vero sacramentum tum præcipue Christum instituisse docet eadem synodus cap. I. cit. sess. *Cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit.

Et sane in adductis Christi verbis tria illa inveniuntur, quæ omnibus fatentibus ad vere et proprie dictum sacramentum constituendum requiruntur et sufficiunt, divina nempe institutio, gratia collatio, et ritus externus. Ac I. quidem divina institutio, in illis Christi verbis Joan. XX. 21-25. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum: quorum, etc.*; 2. gratia collatio, quia nunquam peccata dimittuntur absque gratiæ collatione; 3. demum ritus externus sive sensibilis in ipsa actione qua peccata remittuntur, seu in exercitio hujus potestatis quam Christus Ecclesiæ contulit. Apposite autem Tridentini patres dixerunt tunc præcipue sacramentum hoc fuisse a Christo institutum cum dixit *quorum, etc.* Jam enim Christus pollicitus fuerat, seu ut alii loquuntur, quasi inchoate sacramentum hoc instituerat juxta communem patrum ac theologorum consensum cum Matth. XVI, 19, dixit Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis, et cum ibid. XVIII. 18. sic apostolos omnes allocutus est: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata in caelo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.*

Ad patres vero quod spectat, facile concors illorum sententia colligitur I. ex iis, quæ ipsi disputarunt adversus montanistas et novatianos ostendentes Christum nulla adhibita circumscriptione plenam Ecclesiæ suæ potestatem contulisse dimittendi peccati innixi illis verbis: *Quorum remisistis, etc. et quæcumque, etc.* 2. ex apertis eorumdem testimoniis: innumera prope sunt quæ afferri possunt; nos brevitati consulentes unum aut alterum eligemus. S. Cyprianus: *Confiteantur, inquit, singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est; dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud*

*Domini gratia est* (1); s. Ambrosius sic novatianos perstringit: *Cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: accipite Spiritum sanctum, etc., quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet* (2). Conferens vero poenitentia sacramentum cum sacramento baptismi ita prosequitur: *Quid interest utrum per poenitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotis vindicent? unum in utroque mysterium est* (Lib. I de Poenit. cap. 8. n. 56). Demum s. J. Chrysostomus in lib. de Sacerdotio, ubi eloquentissime ut solet, efferens hujus ordiis dignitatem hæc ad rem nostram habet: *Qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est ut ea quæ in caelis sunt, dispensent: iis datum est ut potestatem habeant quam Deus optimus neque angelis, neque archangelis datam esse voluit, neque enim illis dictum est: Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata et in caelo, et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelo. Habent quidem terrestres principes vinculi potestatem, verum in corpus solum: id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam attingit, atque ad caelos usque pervadit* (3). Et hæc pauca sufficiant, ex multis quæ afferri possent (4). 3. Idem consensus colligitur ex omnibus testimoniis quibus patres inculcant confessionis necessitatem et praxim, quæ paulo infra adducemus.

Ad hæc accedit argumentum præscriptionis circa septenarium sacramentorum numerum, de quo suo loco egimus (5); jam vero poenitentia in hoc numero semper recensita est. Accedit etiam perpetua Ecclesiæ praxis in administratione hujus sacramenti de qua omnes rituales libri sive occidentalium sive orientalium Ecclesiarum loquuntur, quod ex dicendis lacerulentiù fiet.

**DIFFICULTATES.** *Obj.* Christus neque Joan. XX. 23. neque Math. XVIII. 18. ullum sacramentum instituit, sed potius missionem contulit, etenim in priori testimonio mandatum dedit apostolis prædicandi Evangelium, ac propterea denuntiandi credentibus poenitentiam ac peccatorum remissionem, non credentibus vero æternas pœnas comminandi. 2. Sane priusquam Christus pronuntiasset laudata verba: *quorum, etc.* immediate jam dixerat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, quæ profecto missionem tantum significant illi similem quam ipse a Patre habuit, et reipsa exercuit. 3. Hoc idem loca parallela confirmant: quod enim Joannes XX. 23. retulit a Christo dictum apostolis, aliis verbis refert s. Lucas XXIV. 47. qui sic Christum loquentem inducit: *Et prædicari in nomine*

(1) Lib. de lapsis edit. Maur. pag. 191. Cf. Pref. edit.

(2) Lib. I. de Poenit. cap. 2. n. 6. 7.

(3) Οὗτοι τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ ἐν τούτῳ ποιοῦντες τὴν διακρίσιν τῆ ἐν οὐρανῶν δικαιοσύνης ἐπιπέμψασαν, καὶ ἡγουμένην ἔλαθον, ἥ ὅτι οὐκ ἀγνοοῦντες ὅτι ἀρχιερεῖς θύσαντες ἐστί. Οὗ γὰρ πρὸς λαόνους ἐλάσαν ὅσα ἐν δόξῃ ἐστὶν τῆς γῆς, ἐστὶν δὲ δόξα καὶ ἐν τῇ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐν δόξῃ ἐστὶν τῆς γῆς, ἐστὶν καὶ ἐν τῇ οὐρανῷ ἵερῶν καὶ τῶν καὶ ἐκ ἀποστόλων ἐστὶν τῆς γῆς, τῶν τῶν ἀποστόλων ἑστιν, ἀλλὰ τὰ πάντα μόνον ὅτι οὐκ ἐστὶν ὁ δόξα ἐστὶν ἀποστόλων τῆς γῆς, καὶ διακρίσιν τῆς οὐρανῶν. De sacerdot. lib. III. ed. Maur. tom. I. pag. 585.

(4) Cf. Bellarm. de Poenit. lib. I. cap. 10.

(5) Tract. de Sacram. in gen. n. 15. et seqq.

ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. 4. Hinc s. Augustinus lib. III. de Consensu Evangelistarum utrumque textum Joannis et Lucæ simul conjungens adnotat, ea a s. Luca fuisse adjecta, quæ Joannes prætermisit (Cap. 25. n. 74). 5. S. autem Cyrillus Alex. Christi verba Joan. XX. exponit de peccatorum remissione quæ datur per baptisma (1). 6. Multo vero minus de poenitentia intelligi possunt quæ leguntur Matth. XVIII. quandoquidem de privatarum injuriarum mutua condonatione exponenda ea esse suadet evidenter orationis series, 7. et auctoritas ss. Patrum inter quos s. Augustinus, qui serm. LXXII. sic ea præclare exponit: *Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum? ligas illum in terra... cum autem correxeris, et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra, solutus erit et in celo* (2). Eadem ferme scribit Theophylactus, et s. Hieronymus qui in cap. XIV. Isa. dicit apostolos solvisse peccatorum funes et vincula juxta id quod dictum est illis: *Quæcumque solveritis etc. sermone Dei, et testimoniis Scripturarum et exhortatione virtutum* (3). Ergo.

Resp. Neg. Ant. Contrarium enim docuit Tridentina synodus quoad utrumque textum sess. XIV. cap. VI., quæ præterea can. III. adjevit: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentia, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, delatoris autem, contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anath. sit.*

Ad 4. prob. Neg. Etenim munus seu mandatum prædicandi evangelium quod Christus apostolis omnibus imposuit Matth. XXVIII. et Luc. XXIV. permisceri non debet cum altero munere remittendi peccata, quod Christus pariter iisdem contulit Joan. XX. unum enim ab altero evangelistæ accurate discernunt. Matthæus enim et Lucas referunt priorem missionem Christum contulisse undecim discipulis; sanctus vero Joannes refert alteram contulisse Christum discipulis, absente Thoma, scribens: *Thomas autem unus ex duodecim... non erat cum eis quando venit Jesus* (4). Non ergo idem, sed diversum plane munus obeundum

(1) Lib. XII. cap. 1. opp. edit. Paris. 1658. tom. IV. pag. 1101.

(2) In ed. Maur. Serm. LXXXII. cap. 4. n. 7.

(3) Lib. VI. in Is. cap. 14. edit. Vallars. pag. 225.

(4) Kuinoel ita hoc testimonium exponit, ut intelligendum sit de improbis e cæto christianorum efficiendis, poenisque iisdem minitandis, ubi vero, annuntia peccatorum venia, resipuerint, in fidelium cœtum iterum recipiendis, quæ interpretatio probatur Lessio, Michaelis, Moro, Langio: alii significari per ea verba intelligunt liberationem a poenis criminum, scilicet morbis, adeo ut remittere peccata perinde sit ac remove re consequens peccati, sive a morbis liberare, retinere autem peccata, morbos immittere vel sanitatem non restituere: alii inter quos Kuinoel ipse, contendunt hunc eorumdem verborum sensum esse: omnes Dei favorem, beneficia, delictorum veniam consequentur, quibus peccatorum veniam annuntiaveritis, quosque in cœtu christianorum receperitis, ea tamen lege, ut meam doctrinam profiteantur, factisque ac moribus expriment, contra vero omnes, quos non receperitis, quos indignos declaraveritis, qui recipiantur, contumaces, facinorosi, quibus adeo contumaciæ, et flagitiorum poenas annuntia veritis, non perirentur Dei favore, carebunt beneficiis

apostolis commisit Christus ab eo quod iisdem demandavit cum illos ad prædicandum evangelium et ad denunciandam gentibus poenitentiam misit.

Ad 2. Dist. Id est, delegavit Christus apostolis eandem potestatem quam ipse a Patre acceperat ad remittenda peccata, C. ad solam evangelii prædicationem, N. Ut enim legitur Matth. IX. 6. Christus hanc peculiarem potestatem sibi vindicavit dicens: *Ut sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, etc.* Eam præterea exercuit Luc. VII. 42. et alibi passim; hanc igitur potestatem communicavit Jesus discipulis Joan. XX.

Ad 5. Neg. Ut patet ex dictis in resp. ad 1.

Ad 4. Dist. Ducens quomodo possint verba quæ apud Lucam leguntur, digeri seu disponi cum iis quæ leguntur apud Joannem, C. docens de una eademque potestate esse intelligenda quæ occurrunt in istis evangelistarum locis, N. Imo s. doctor duplicem distinguit Christi apparitionem in adductis testimoniis, ut ex orationis serie aperte constat (1).

Ad 5. Dist. Etiam, C. solum, N. Nam et per baptisma et per poenitentiam peccata remitti docet s. Cyrillus. En ejus verba: *Remittunt porro peccata, vel retinent spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis: vel enim dignos ad baptismum vocant... vel prohibent et a gratia divina arcent eos, qui nondum digni sunt; vel alio quidem modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes accipiunt vel poenitentibus ignoscunt* (2).

Ad 6. Neg. Christus enim Dominus distinguit inter delatorem qui injuriam passus est a fratre suo, testes, atque Ecclesiam, et soli Ecclesiæ tribuit judicariam potestatem dicens: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Quorum verborum hic sensus est, si Ecclesiæ liganti non obtemperaverit, sit tibi, contra quem peccavit, quique eum delulisti, tanquam ethnicus et publicanus. Alius est ergo, qui injuriam accipit, alius qui ligat et solvit (3); hinc protinus addidit Christus: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, etc.*

Ad 7. Dist. Nonnulli patres per accommodationem seu extensionem quandam exposuerunt Christi verba de injuriarum condonatione, C. in sensu proprio aut ad ejus exclusionem, N. Scilicet unus aut alter Ecce-

quibus christiani homines cumulantur, poenas luunt. Constat scilicet protestantes, traditione rejecta, nullo unquam in loco certos posse consistere.

(1) Sic enim loquitur s. doctor: « His item verbis posunt adjungi, quæ Lucas tacet, dicit autem Joannes... His rursus adjungamus, quæ Joannes prætermisit, Lucas commemorat. » Nempe textus catenam, ut vulgo dicitur narrationis Evangelistarum connectendo textus inter se. Sed finem hujus numeri aperte adnotat diversam esse apparitionem quæ contigit, absente Thoma, et in qua Christus verba protulit de quibus disserimus, ab alia in qua fuerunt omnes Apostoli, et ea Christus dixit quæ apud s. Lucam leguntur.

(2) Ἀφίειν τε μήν ἀμαρτίας, ἥτοι κατήρασαν οἱ πνευματικοί, κατὰ δύο τρόπους, κατὰ γὰρ διάφορον τρόπον, ἢ γὰρ καλοῦσαν εἰς τὸ βάπτισμα, ἢ δὲ διακαλλοῦσαι τινος, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσαν ἐπὶ οὐκ εὖ γινώσκοντος αἰτίου ἢ καὶ κατ' ἕτερον τρόπον ἀφίειν τε καὶ κρατοῦσαι ἀμαρτίας, ἵνα τιμωρῆται μὲν ἀμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τιμωρίας, μετανοοῦσι δὲ συγγνώμην τε.

(3) Cf. Maldonat. in Matth. XVIII. 18. et XVI. 19; necnon Estium in 4 sent. D. 14. § 6. et Dist. 48 § 5.

sia pater quod juxta proprium verborum sensum dictum a Christo est solis apostolis eorumque successoribus, per quamdam extensionem omnibus fidelibus accommodarunt (1). Interdum etiam, ut alias usu venit, nonnulli patres supposito obvio et literalis sensu, qui est de judiciaria potestate, ut vidimus, apostolis collata, aliam adjiciunt expositionem in sensu mystico, ut dicitur, ac minus proprio. Hæc ratione disjiciuntur quæ sive ab Augustino, sive ab aliis patribus proferunt adversarii. Sane s. Augustinus alibi affirmat, Christi verba *quæcumque alligaveritis, etc.*, intelligi *de præpositis per quos Ecclesia gubernatur* (2), quod et de ceteris pariter constat. Ex his calumnia quoque evanescit impacta in Tridentinam synodum a Paulo Sarpio, ejusque postillatore Courayerio, quod nimia scilicet facilitate appellaverit ad universalem Patrum consensum absque prævia eorumdem Patrum discussione (3).

H. Obj. 1. Nullum in V. T. institutum fuit sacramentum ad eluenda peccata, quæ, fatente ipsa Tridentina synodo sess. XIV. cap. I. sola debebantur poenitentia virtute; quorsum igitur institutum censendum erit in N. T. nisi ut pejor fieret nostra conditio? 2. Sane: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus* (4)? Nullus proinde homo hanc sibi arrogare potest judicariam potestatem secus ac catholici docent a sacerdotibus fieri per sacramentum poenitentia. 3. Quare in Scripturis nunquam peccatoris justificatio adscribitur sacramento poenitentia, sed impiorum conversioni, ut Zachæi, mulieris poenitentis, Petri exempla declarant, imo et parabola filii ad patrem consumpta hereditate revertentis, in qua Christus perfectæ respicientia exemplar exhibere voluit. 4. Addo, quod si Christus in adductis testimoniis sacramentum instituisset, sequeretur sacramentum confici nedom quando sacerdos absolvit, verum etiam quando ligat, seu peccata retinet, quod nemo dicit. Ergo.

Resp. ad 1. Neg. Quamvis enim nullum institutum fuerit in V. T. sacramentum ad peccata delenda, perperam inde inferitur nullum pariter institutum esse in lege nova, alioquin ex eodem principio inferre possemus neque baptismum neque eucharistiam esse sacramenta a Christo instituta eo quod neutrum fuerit in V. T. Hæc enim pendent a positiva Dei voluntate,

(1) Eadem ratione sese gesserunt circa alia e. g. quoad sacerdotium quod in sensu extensivo et improprio tribuerent etiam laicis eo quod in casu necessitatis et ipsi baptizent, cum tamen hoc munus proprium sit solius sacerdotii proprie dicti et ita de pluribus aliis dicatur.

(2) De Civ. Dei lib. XX. cap. 9. num. 2. Eadem habet serm. CCXCV. al. CVIII. n. 2. Serm. CCLII. cap. 5. n. 8. et alibi passim. Id ipsum dicitur de Theophylacto, qui in cap. XVIII. 18. Matth. dum et ipse extendit verba Christi ad omnes fideles eaque de injuriis condonandis interpretatur, distinguit potestatem sacerdotum propriam absolvendi a peccatis: ea ejus verba: *Οἱ μὲν μόνον ἔσονται οἱ ἐκκλησιαστικοί. Non enim solum quæ solvant sacerdotes, sunt soluta.* In cap. 20. expresse docet Christum apostolis dedisse potestatem ut remittant peccata *ὡστε ἀφίειν τὰ ἀμαρτίαν*. Sic etiam s. Hieronymus in Comm. ad cap. 18. Matth. apostolis hanc datam potestatem affirmat.

(3) Cf. Card. Pallav. *Histor. conc. Trid.* lib. XII. cap. 12. n. 7.

(4) Marc. II. 7. Τὴν δύναμιν ἀφίειν ἀμαρτίας, ἢ μὴ εἶναι ὁ θεός;

quæ congrua media diversis temporibus aptare novit. Cum præterea agatur de facto, inquirendum nobis hoc unum superest, utrum Christus reipsa hoc sacramentum instituerit nec ne. Cum de eo constiterit, congruentia rationes ex se concidunt. Non tamen sequitur in pejori nos conditione, quam Hebræos in V. T. versari. Etenim præterquam quod actualis poenitentia sacramenti susceptio suppleri potest contritione et voto in necessitatis casu, ut præclare observat catholismus rom., per hoc sacramentum Christus sollicitudini et anxietati nostræ subvenire voluit, cum per illud non modicum solatium, conscientia pacem et tranquillitatem ex sacerdotis absolute consequamur: *Neque enim, inquit, aliter accipienda est vox sacerdotis peccata nobis legitime condonantis quam Christi Domini qui ait paralytico, Matth. IX. 2. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (1).

Ad 2. Dist. Potestate propria vel excellentia, C. potestate communicata et ministeriali, N. Utique Deus solus potestate propria potest peccata dimittere uti et gratiam largiri; potest tamen utrumque præstare per hominum ministerium et per sacramenta. Hinc sacerdotes possunt peccata dimittere potestate a Deo accepta, subordinata, ac ministeriali, ut vocant, non secus ac rex et præfectus (quæ comparatio Chrysostomi est) potest reos in carcerem detrodere et liberare (*Lib. III. de Sacerdot. loc. cit.*).

Ad 3. Dist. Antequam institueretur sacramentum, C. post ejus institutionem, N. Omnia properea adducta exempla extra rem proferuntur; ut quidpiam concluderent adversarii, ostendere deberent posse homines, si necessitatis casum excipias, obtinere peccatorum remissionem absque actuali hujus sacramenti perceptione, in casu autem necessitatis absque ejus voto, quod semper in vera conversione includitur.

Ad 4. vel Neg. seq. vel Dist. Si ligaret actu positivo et directe, Tr. si negative et indirecte, N. Eatenus autem ligat sacerdos quatenus non absolvit, nulla proinde intercedit paritas inter ligandi et absolventi actus. Sive tamen liget sacerdos, sive solvat, utrumque præstat vi judiciaria potestatis sibi tradita, quam alterutro modo exercet. Eadem difficultas in hypothese adversariorum urgeri posset adversus baptismum, cum scilicet Ecclesiæ præpositi ab eo arcent indignos. Addo sacerdotem etiam ligare opera satisfactoria injungendo.

PROPOSITIO III. — Poenitentia est sacramentum a baptismi sacramento distinctum.

Est de fide a Tridentino sess. XIV. can. II. definita his verbis: *Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentia sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anath. sit.*

(1) P. 2. cap. 5. n. 9. Alia emolumenta, quæ ex administratione hujus sacramenti in homines proveniunt, uno in totam societatem inferitis recensentibus, cum sermone instituemus de confessione.

Quemadmodum vero protestantes ex præpostero principio de justificatione et peccato originali cum suis necessariis manifestationibus intulerunt hoc corollarium quo omnes effectus poenitentiae tribuunt sacramento baptismi, ita Catholici ex contraria doctrina de justificatione ac peccato originali et peccatis actualibus voluntariis inferunt contrariam plane consecutionem. Hoc tamen intercedit essentielle discrimen inter agendi rationem quam seculi sunt protestantes et aliam cui Catholici insistant, quod illi dogmata a priori, ut ita dicam, sibi fingant et propriae theoriae accommodent, vel ex illa deducant, isti vero ex constanti ac perpetua Ecclesiae doctrina ac praxi dogmata statuunt.

Ecclesia enim catholica distinctum in utroque sacramento agnovit ministrum, distinctum subjectum, distinctam materiam, distinctam formam, distinctos effectus, distinctam institutionem, distinctas proprietates. Nam minister baptismi, saltem in necessitatis casu, est quilibet homo, minister poenitentiae solus sacerdos; subjectum baptismi est quilibet homo, subjectum poenitentiae solus baptizatus; baptismi materia est aqua, poenitentiae ex communi sententia actus poenitentis, forma baptismi exprimit ablutionem, poenitentiae absolutionem; institutum fuit sacramentum baptismi Matth. XXVIII. sacramentum poenitentiae Joan. XX. ut paulo ante ostendimus; effectus baptismi est delere una cum originali qualibet personalia crimina, tum quoad culpam, tum quoad omnem poenae reatum, ita ut per illum vere renascamur; poenitentiae effectus est remittere solas actuales noxas et poenam aeternam quae inde consequitur, non autem, saltem ordinarie, omnem poenam temporalem, ita ut reconciliemur Deo non sine magnis nostris fletibus et laboribus, imo et satisfactionibus; proprietates denique baptismi est ut iterari non possit, nec per modum iudicii deleantur peccata, poenitentiae vero proprium est ut per modum iudicii administraretur, ac toties quoties peccator noxarum suarum poenitens ad sacrum tribunal confugerit. Hinc patres appellare consueverunt poenitentiam laboriosum quandam baptismum vel secundam post naufragium tabulam, ut Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus (1).

Accedit quod juxta protestantium systema non solum poenitentia, sed ipsa eucharistia ex numero sacramentorum deberet expungi. Etenim si juxta ipsos, ideo baptismatis memoria seu recordatio vim habet remittendi peccata in quae christianus labitur: quia revocat ei in mentem signum seu pignus justificationis quam est adeptus per fidem, quorsum instituta est eucharistia, quae pariter per fidem suos producit effectus? Ergo.

(1) Cf. apud Bellarm. de Poenit. lib. 1. cap. 15. Observat Moehler. l. c. pag. 315. quod « Luther ne peut-il pardonner à s. Jérôme d'avoir appelé la pénitence la seconde planche de salut: car la première qui est le baptême ne peut se perdre, dit notre docteur, tant que l'homme effrayé par ses péchés retourne aux promesses de ce sacrement. Suivant les catholiques, le bain de la régénération doit, à travers tout notre pèlerinage, nous rendre purs et saints aux yeux de Dieu; d'après Luther, il doit consoler l'homme dans tous ses péchés. »

DIFFICULTATES. — I. Obj. In Scripturis semper baptismus cum poenitentia conjungitur, ac baptismus tribuitur peccatorum remissio. Sic Act. II. 38. dicitur: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum.* Marci I. 4. praedicatur baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum. Nec alia ratione Christus, ex Apostolo Ephes. V. 26. Ecclesiam suam sanctificavit, quam *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Quare universim pronuntiat Christus Marc. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.*

Resp. Dist. Ant. Conjungitur baptismus cum poenitentia prout virtus est in adultis, ut peccatorum anteactorum veniam obtineant, C. cum poenitentia prout sacramentum est ad delenda peccata post baptismum patrata N. Quando in Scripturis poenitentia exigitur ut adulti cum fructu suscipiant sacramentum baptismi, exigitur ut dispositio, ac prout virtus est. Dicitur vero conferri baptismum in remissionem peccatorum non absolute, sive de omnibus peccatis quae post baptismum patratur, sed de iis quae baptismum praecesserunt, ut per se constat. Sane quoad peccata in quae fideles post baptismum lapsi sunt, nunquam haec perhibentur deleta vi baptismi, neque Scripturae fideles peccatores cohortantur ad recordationem suscepti baptismi ut eorum veniam consequantur, sed illos ad solam poenitentiam excitant. Hinc Act. VIII. 22. Petrus Simoni jam baptizato dixit: *Poenitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.* Sic etiam incestuosum illum Corinthium quem Apostolus ex potestate sibi a Christo data ligaverat I. Cor. V. ex eadem potestate II. Cor. II. solvit in persona Christi. Hac ratione exponi debent Scripturarum testimonia quae nobis obijciuntur ex conjunctione baptismi cum poenitentia.

Ad id vero quod subdunt ex Apostolo facilis responsio patet: mundavit enim Christus Ecclesiam suam in regeneratione per ingressum ad vitam spiritualem. Sic etiam qui crediderit salvus erit, si fidem tamen et gratiam quam per baptismum est consecutus operibus teneat, ut loquitur s. Gregorius M.

II. Obj. 1. Patres remissionem peccatorum omnium uni baptismi acceptam passim referunt; luculentissime id docet inter ceteros s. Augustinus, qui scribens ad Bonifacium: *Quidquid, inquit, ab eis, qui post acceptum baptismum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcumque culparum propter ipsum lavacrum dimittitur (Epist. CLXXXV. cap. 9. n. 59).* Et clarius adhuc lib. I. de Nuptiis ubi Apostoli dictum: *Christus dilexit Ecclesiam... mundans lavacro aquae, sic accipiendum esse contendit: Ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regenerantium mundentur atque sanentur, non solum peccata quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut baptismus quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum veniam fidelibus impetretur (Cap.*

53. n. 38), et alibi saepe. 2. Hinc s. Fulgentius ejus discipulus in lib. de Fide ad Petrum appellat baptismum sacramentum fidei et poenitentiae (Epist. CLXXXV. cap. 30). Post clara adeo Patrum testimonia jam patet, 3. quid sentiendum sit de Catholicorum nugis, 4. distincta nempe materia, forma etc. quae etiam distincta sint in baptismo et poenitentia, ad unum tamen idemque sacramentum referri possunt, uti reipsa ad idem sacramentum eucharistiae referuntur distincta materia, forma et symbola. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Acceptam referunt patres remissionem peccatorum omnium baptismi tanquam causae remotae necessario praerequisitae subsequentibus salutis subsidiis, C. tanquam causae proximae et formali, exclusis sacramentis reliquis ac salutis subsidiis, N. Aliam non esse Augustini mentem in objectis locis constat ex iis quae ibidem adjecit. Nam in epist. ad Bonifacium post adducta verba ita prosequitur: *Neque enim aliquid prodest de baptizato dicere, dimitte nobis debita nostra (1).* In libro vero de Nuptiis loc. cit. pariter addit: *Quid enim prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet (2)?* Comparat scilicet s. doctor regenerationem spiritualem generationi carnali. Quemadmodum vero huic veluti primae causae et vita et sanitas et medicinae operatio adscribenda sunt, sic regenerationi spirituali et vitae perfectio, et nutritio, et amissa valetudinis recuperatio, quae per confirmationem, eucharistiam et poenitentiam habentur adscribit.

Ad 2. Dist. Vocat s. Fulgentius baptismum sacramentum fidei et poenitentiae, quia sine his dispositionibus absque fructu baptismus perciperetur, C. quasi unum sacramentum esse censuerit baptismum et poenitentiam, N. Sequitur enim, explicans semetipsum: *Id est, per baptismum.* Deinde exponit qua ratione adultis ad baptismum accedentibus sit necessaria poenitentia, non item vero parvulis.

Ad 3. Neg. Paritatem: in eucharistia enim utraque species eandem cum Christo unionem significat, ad eandem refertur spiritualem animae refectionem, eandemque demum gratiam producit. Hinc s. Thomas docet eucharistiam esse quidem sacramentum materialiter multiplex, unum tamen perfectione signi et gratiae productione (3. p. q. 75. a. 2). Contra vero in baptismo et poenitentia confertur diversa gratia, ac diversa est etiam significationis ratio. Siquidem

(1) Scopus s. Augustini in hac epistola est refellere Donatistas, qui contendebant « In ea se esse Ecclesia, quae jam non habet maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, » ut refert s. doctor n. 38. quibus respondet hoc fieri non posse in Ecclesia militante, quae nempe in his terris adhuc militat, sed hunc statum reservatum esse Ecclesiae in caelis cum Christo regnanti in futuro seculo, cum hic semper rogare Deum debeamus illis verbis *dimitte nobis, etc.* Quae petitio frustra fieret ab eo qui non esset baptismi regeneratus, cum ex vi ipsius baptismi nobis propositum hanc orationem, tum alia salutis subsidia, quae Christus Ecclesiae suae reliquit.

(2) Melius etiam dignoscitur s. Augustini mens ex iis, quae hic immediate subdit: « In ipsa quoque oratione dominica, quae quotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, *dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? etc.* »

baptismus est spiritualis regeneratio, poenitentia autem reconciliatio est regenerantium, ideoque duo haec sacramenta non materiali tantum ratione, verum etiam formali, ut aiunt, sunt ab invicem distincta.

#### CAPUT II. DE CONTRITIONE.

Veritate sacramenti poenitentiae constituta, reliquum est, ut ejus partes expendamus, quas tres esse, contritionem videlicet, confessionem et satisfactionem Tridentina synodus adversus Novatores declaravit ac sanxit in laudata sess. XIV. hoc can. IV. *Si quis negaverit ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex evangelio, vel absolutione qua credit quia sibi per Christum remissa peccata, anath. sit.* De unaquaque proinde ex ordine disserendum est, ac primo de contritione, quae ab eadem synodo ibi cap. IV. definitur: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Hic porro dolor, *Si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua, conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur, ex eadem synodo hominem post baptismum lapsam Praeparat ad remissionem peccatorum.*

Verum hic non pauca disentienda occurrunt, quorum alia ad fidem spectant, alia sunt fidei proxima, alia denique libere in scholis catholicis agitantur. Juxta alia ab aliis accurate dispoecere ut perspicuitati consultum sit.

Ac I. quidem de fide est, *Contritionem illam imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat eum spe veniae; non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed solum moventis, quo poenitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Niniivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus poenitentiam egerunt, misericordiam a Domino impetrarunt. Ita Tridentina synodus l. c. quae can. V. quem paulo post subjiciemus, eandem doctrinam anathemate firmavit.*

II. Fidei proximum est, *Contritionem, quam aliquando charitate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ita Tridentinum l. c. quod praeterea docet, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Hoc ipsum pariter eruitur ex pluribus propositionibus, quas inferius referemus in Baio damnatis, quibus tradebat doctor hic Lovaniensis posse*